Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32271
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

sub die .v. idus aug. Regnante vero domino nostro ihesu christo
cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. Passio sancti Laurentii
Tempore decii cesaris milites. Incipit martirium.
tenentes beatum laurentium duxerunt et tradiderunt
eum parthemio tribuno. Idem parthemius tribunus nun
tiavit decio quod laurentius qui habet thesauros recondi
tos diaconus sixti in custodia teneretur. Gavisus est decius
et fecit sibi beatum laurentium presentari. Quem ita aggreditur de
cius cesar dicens. Ubi sunt thesauri ecclesie quos apud te cogno
vimus esse reconditos. Beatus laurentius non respondit ei verbum.
Eodem die decius cesar tradidit eum valeriano prefecto dicens.
Quere ab eo thesauros diligenter et sacrificet. Quod si non
sacrificaverit diversis penis cruciatibusque interfice. Tunc va
lerianus tradidit eum cuidam vicario in custodiam nomine
ypolito. Et cum accepisset ypolitus beatum laurentium, reclusit
eum cum multis. Erat autem homo ibi in custodia multo
tempore gentilis, qui plorando amissis oculis cecus factus fuerat.
Dixit ad eum beatus laurentius. Crede in filium dei dominum ihesum
christum et baptizare et illuminabis. Et lucillus respondit.
Ego semper desideravi baptizari in nomine domini ihesu christi.
Beatus laurentius dixit. Si ex toto corde credis. Et lucillus
cum fletu dicens. Ego credo in dominum ihesum christum et idola
vana et falsa respuo. Ypolitus patienter expectabat verba
eorum. Tunc beatus laurentius cathezizavit eum. Et accepta aqua
dixit. Omnia in confessione lavantur. Tu autem me annunciante
responde credo. Benedixit aquam et cum expoliasset eum fudit
super caput eius dicens. Credis in deum patrem lucille. At ille
respondit credo. Et in ihesum christum filium eius. Et ille respondit credo. Remis
sionem peccatorum. Respondit credo. Carnis resurrectionem. Respondit credo.
Ipse te in corpore et anima illuminet. Et cooperuit eum linthe
aminibus. Tunc aperti sunt oculi eius et cepit clamare dicens. Benedic
tus dominus ihesus christus deus eternus, qui me illuminavit per beatum
laurentium, quia semper cecus fui et modo video. Tunc audientes multi
ceci veniebant ad beatum laurentium. Et beatus laurentius ad custo
diam positus ypoliti ponebat manus super cecorum oculos et illu
minabantur. Videns autem hoc sanctus ypolitus dixit ad beatum laurentium.
Ostende mihi thesauros. Dixit ei beatus laurentius. O ypolite si cre
dis in deum patrem omnipotentem et in filium eius dominum nostrum

ihesum christum et thesauros tibi ostendo et vitam eternam pro
mitto. Dicit ei ypolitus. Si dictis facta compensas, faciam
hoc quod hortaris. Dicit ei beatus laurentius. Audi me et quod or
tatur sui cecus fac. Quia idola vana et surda et muta sunt. Tunc
mox baptizare. Et more solito cathezizavit eum. Et ac
ceptam aquam benedixit et baptizavit eum. Et exurgens de
aqua cepit dicere ypolitus. Vidi animas innocentium letas
gaudere. Et dixit ad beatum laurentium cum lacrimis. Adiuro
te per dominum ihesum christum ut omnis domus mea baptizetur.
Et baptizati sunt promiscui sexus in domo ypoliti numero
decem et novem cum gloria. Tunc mandavit valerianus ad
ypolitum. Adduc ad palatium laurentium. Dixit autem ypo
litus ad beatum laurentium. Valerianus ex precepto decii misit
ut te ad eum perducam. Beatus laurentius dixit. Ambulemus quia
mihi et tibi gloria paratur. Et cum venissent ambo simul ante con
spectum valeriani, valerianus dixit ad beatum laurentium. Iam
depone pertinaciam et prode thesauros ecclesie quos apud
te cognovimus esse reconditos. Beatus laurentius dixit. Date mihi in
ducias biduo aut triduo et proferam tibi thesauros. Et
valerianus dixit ad ypolitum. In tua pollicitatione
habeat triduo inducias. Ab eodem die collegit cecos
claudos debiles et pauperes et abscondit eos in domo
ypoliti. Valerianus autem nunciavit decio quia beatus laurentius
datis sibi triduo induciis thesauros se promisit decla
rare. Completis autem tribus diebus presentavit se in palatio
salustiano. Et ait decius cesar presente valeriano prefec
to. Ubi sunt thesauri quos te pollicitus es presentare. Beatus lau
rentius collecta multitudine introduxit in palatium pau
pes et voce clara dixit. Ecce isti sunt thesauri ecclesie sem
piterni qui non minuuntur sed crescunt, qui in singulis asper
guntur et in omnibus inveniuntur. Valerianus dixit presente
decio cesare ad beatum laurentium. Quid variaris per multa. Sa
crifica diis et oblivisce artes magicas in quibus confidis.
Beatus laurentius dixit. Quare vos coartat diabolus ut christiani
dicatis sacrificate demoniis. Si iustum est ut demoni
is inclinemur, quam deo creatori omnium visibilium et invi
sibilium qui fecit nos. Beatus laurentius dixit. Deus pater domini nostri
ihesu christi creator est universe creature et dominus celi et terre et tu

pass. s. laurentii S.